

laodicenses, Praefatio in Apocalypsin, quae est *Gilberti*, demum Psalmus ille *CLI. Pusillus eram* &c. cui bene praemisit Miniator: *Hic psalmus in hebraicis codicibus non habetur, sed nec a septuaginta interpretibus est et ideo repudiandus.*

XIV.

R. 1114 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 590. 4. maj. per duas columnas angustas, ita ut amplissimi sint margines, nitidissime exaratus, illibatus, frontibus Librorum, et initiorum literis deauratis, picturatisque et olim Collegii S. J. *Vindobon.* sacra vulgatae Versionis exhibet *Biblia Prologis Hieronymianis* pro more munita. Literam primam *Geneseos* septem primos Univerfi dies ferie perpendiculari gestantem Senecio humeris sustentat, tantoque oneri vix par exclamat: *O quam graue fero pondus! Succurrite queso. Ad Librum II. Esdrae* in ora supera *Esdras* et *Neemias* praefertur,

O tu lector quotiens ibesum reuoluis ore Te deprecor totiens exora pro scriptore.

O flos scriptorum salue benenate magister.

Nunquam tetrorum te terreat ordo sinister.

Quis hic *Magister*? Accedit nota Interpretatio Vocabulorum hebr. et graec. ab alia, *συνχρονος* tamen et aequae munda manu.

XV.

U. 58 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 411. 4. per duas columnas eleganter exaratus, et

et *Libro III. Esdrae* a prima manu rite datus erat numerus III. sed inepte sedulus quispiam extremam unitatem ubique eradere conatus II. fecit. *Psalterii* singularis est ratio; non enim tantum Psalmi, sed Versus omnes a litera majuscula picta incipiunt. Verum solae primae Versuum voces integre scriptae sunt, sequentes aut prima solum syllaba, aut etiam litera indicantur, v. g. *Confitebor t. d. i. to. c. m.* id est: *tibi domine in toto corde meo.* Lectoribus itaque, qui Psalmos memoria tenerent, Librarius noster scripsit. *Salomonis Libellis* subjunxit *Orationem* illam e *L. III. Reg. c. 8.* et *Paralip. II. c. 6.* quam non jam semel in aliis Exemplis notavi. Prima cujusvis Evangelistae Litera ipsum stantem, sed *Marcum* leonino, *Lucam* vitulino, *Johannem* aquilino capite repraesentat. *I. Job. c. 5.* ad testimonium terrestre deest: *Et hi tres unum sunt.* Ad calcem *Apocalypseos* haec:

coloribus distinctus, olim *Job. Gremperii* amanuensis *Cuspiniani* nostri, literati hominis, ut e *Schemate* a me in *Memorab. Bibl. Gall. P. I. p. 196.* descripto et hic *Thecae* anteriori adglutinato liquet,